

et s. p. Harum differentia non est vilipendenda in plantis subaquaneis limosive scrutandis. Multis jam supra exemplis ostendimus, plantas subaquaneas tenuiores esse in mari et in aqua manante, quam alibi.

In stagnis nascuntur plantarum amphibia, quæ, quia nunc in aqua, nunc in terra proveniunt, hanc ob causam maxima sæpe dissimilitudine sese præbent. In his igitur speciebus separandis, quæ sunt plantarum amphibia, magnopere cavendum, ne externa species fallat, inque errorem inducat.

### §. 56.

Duo sunt paludum genera, quæ in opusculo de Agricultura Lapponiæ, fusius tractare studui, quorum alterum, aqua tota fere æstate inundatum, Caricum est præcipuum elementum; alterum genus sphagnis est repletum, aquæ quidem non immersum, sed semper humidum, quæ quidem duo paludum genera maxima interest vegetationis differentia, sæpe minimo locorum intervallo. Sic *Carex limosa* supra sphagna putrida fit *rariiflora*; et in ipso termino sphagni fit *irrigua*; *C. panicea*, locis siccioribus *spariflora*, in limo fit *tumida* (vide infra), in palude profundiissima *livida*, et in ipso termino sphagni, nisi valde hal-